

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Seneca empfiehlt, selbst täglich eine Art von Gewissenserforschung zur Affektkontrolle vorzunehmen.

Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: „Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es?“ Desinet ira et moderatior erit, quae sciet sibi cotidie ad iudicem esse veniendum. Quicquam ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi¹ totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, quam altus ac liber, cum aut laudatus est animus aut admonitus et speculator sui censorque secretus cognovit de moribus suis! Utor hac potestate et cotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris iam mei conscia, totum diem meum scrutor factaque ac dicta mea remetior; nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: „Vide, ne istud amplius facias: nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es: noli postea congregi cum imperitis; nolunt discere, qui numquam didicerunt. Illum liberius admonuisti quam debebas, itaque non emendasti, sed offendisti: de cetero vide, non tantum an verum sit, quod dicis, sed an ille, cui dicitur, veri patiens sit; admoneri bonus gaudet, pessimus quisque rectorem asperrime patitur. In convivio quorundam te sales et in dolorem tuum iacta verba tetigerunt: vitare vulgares convictus memento; solutior est post vinum licentia, quia ne sobriis quidem pudor est. Iratum vidisti amicum tuum ostiario² causidici alicuius aut divitis, quod intrantem summoverat, et ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti: irasceris ergo catenario cani? Et hic, cum multum latravit, obiecto cibo mansuescit. Recede longius et ride! Nunc iste se aliquem putat, quod custodit litigatorum turba limen obsessum; nunc ille, qui intra iacet, felix fortunatusque est et beati hominis iudicat ac potentis indicium difficilem ianuam: nescit durissimum esse ostium carceris.

Wortangaben:

¹*excutere* im Sinne von: *examinare, perquirere, explorare*

²*ostiarius* = *ianitor*

**Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung
für Korrekturzwecke jede zweite Zeile freilassen!**

Original: Bayerisches Staatsministerium für Unterricht und Kultus

Reproduktion: Lehrstuhl Latein, Institut für Klassische Philologie, Universität Regensburg